



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1738

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)



DECRETALIU EPISTOLARU
GREGORII IX.
LIBER TERTIUS.

P R Æ F A T I O.

UNter quinque Libros, in quos Decretales *Gregorii IX.* Epistolas earum compilator *S. Raymundus de Pennafort* dispescuit, præsens Liber III. facile principem locum obtinet, tum ob Titulorum, & Rubricarum numerum ampliorem, tum ob materiarum, quæ sub iisdem tractantur, varietatem, & dignitatem. Tractantur equidem in hoc Libro materiæ tum *Civiles*, tum *Ecclesiasticæ*, eæque vel ut Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis *proprie*, vel ut Laicis quoque communes sunt. Et quidem *Oeconomia* Libri hæc est. I. Per 13. priores Titulos de obligationibus Clericorum in communi agitur, ac deinde, de juribus eorundem beneficialibus, prout illa vel Clericis singillatim consideratis, vel aliquod corpus mysticum, sive Capitulum constituentibus, vel ipsorum Prælati competunt. II. In 13. sequentibus Titulis materia Contractuum, Testamentorum, & Successionum ab intestato, prout illa in utroque foro usum habet, exponitur, & demum III. à Titul. 27. usque ad finem de juribus Regularium, nec non Parochorum propriis, item de Jure Patronatus, Sacrorum, Sacramentorum &c. in quantum hæc jura tam Laicos, quàm Clericos contingunt, convenienti ordine tractatur; ut subinde mirer, quòd *Boehmerus ad h. t. §. 1.* ausus sit scribere: *hoc modo coheret inordinatus ordo Libri tertii.* Nos Commentationes nostras ad hunc Librum in 3. Partes sive Tractatus distribuimus,

mus, in I. acturi de Obligationibus, & Juribus Clericorum in communi, nec non de Juribus, ac Obligationibus Prælatorum & Capitulorum in specie. In II. de Contractibus in specie, prout illi in serie Titulorum enumerantur: item de Testamentis, & aliis ultimæ voluntatis speciebus, nec non de Successionibus ab intestato. III. Denique Tractatus in exponendis aliis juribus spiritualibus tum Clericorum propriis, tum Laicis communibus absolvetur. DEUS nostris conatibus præpotenti virtute sua assistat, cujus unius gloriæ, & honori singulos apices consecramus.

TITULUS I.

De Vita, & Honestate Clericorum.

Quamvis Reipublicæ Christianæ commoda promoveat inculpatæ in Clero vitæ tenor, morumque probitas, Concilium Tridentinum *Sess. 22. de Reform. cap. 1.* satis dilucidè explicat his verbis: *Nil est, quòd alios magis ad pietatem, & DEI cultum assidue instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui in sortem Domini vocati, se Divino ministerio dedicarunt. Cùm enim à rebus sæculi in altiore sublati locum conspiciantur, in eos, tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex illisque sumunt, quod imitentur: idè in limine hujus Libri Canones, sive Regulæ, ad quas mores suos componant Clerici, traduntur, quas antequam sigillatim exponamus, generalia quædam circa statum Clericalem præmittimus.*

§. I.

De Origine, & Varietate Clericorum.

SUMMARI A.

1. *Etymologia hujus nominis Clericus eruitur.*
2. *Nil interesse inter Clericum, & Laicum, docent Lutherus, & Calvinus, & novissime Bæbmerus.*
3. *Ex ejus argumentis plurimis unum proponitur, & ostenditur, argumentum negativum infirmi roboris esse.*
4. *Quare hoc argumento crebrius utantur heterodoxi?*
5. *Bæbme-*

E

ri